



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

19. An Superior, re non integra, illicite, & inualide reuocet licentiam datam subdito, vt possit exercere munus executoris? Ex p. 8. tr. 5. res. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

terioris arbitratore in distribuendis pecuniis, & elemosinis suo arbitrio commissis, ut iam vidimus.

2. Sed insistendo in cap. 2. de testam. in 6. & Clem. Ex.iii. de omnibus Religiosis, potius mihi placet contraria sententia: Nam cum in illis textibus nulla fiat mentio Commissarij, quamvis eadem esset ratio, ob quam ius potuit moveri ad id. prohibendum in officio Commissarij, quæ fuit in officio executoris, adhuc non sufficit hoc, ut in rebus pertinentibus ad ius merè positivum ex prohibitione, aut præcepto vnius rei velimus argumentari ad prohibitionem, seu præceptum alterius. Accedit, quod nec est eadem ratio, ut probant rationes factæ pro secunda sententia. Nec modus etiam occupationis (ut aliquid dicamus ad fundamentum, cui nitetur Sanchez) est ita indecens, & alienus à professione Religiosa, atque officium executoris, quod plerumque per multum tempus durat, plures actiones, occupationes, & curasque concernit. Quod non habet munus Commissarij ad condendum testamentum, quo semel condito nomine defuncti, nec ipsi Commissario secundum leges manet potestas mutandi, & alterandi; sed omninò standum est primæ dispositioni semel ab ipso factæ.

3. Illud autem verissimum puto, quod Sanchez ipse concedit, num. 49. Si Religiosus quicumque absque licentiâ Superioris munus hoc accipere, & exequatur, conscientiam testamentum nomine committentis valebit testamentum, etiam si vera esset opinio eiusdem Sanchez, quod prohibitum sit iuribus civitatis, omnibus Religiosis. Fundamentum est illud ipsum, quo probavimus dub. 11. valere executionem testamenti factam per Religiosum absque vlla licentiâ. Et hæc omnia docet Dicastillus de Iust. lib. 2. tract. 19. disp. 3. dub. 13. n. 174.

RESOL. XVIII.

Quam observanda sunt circa licentiâ, quam Religiosi petere debent, à suo Superiore, ut possint munus Executorum exercere?

Et an prædicta licentiâ debeat esse declarata seu expressa, & non sufficiat tacita, prout insinuat videntur Pontifices?

Et an sit necessarium, ut dicta licentiâ in scriptis redigatur, vel sufficiat, quod verbis exprimat? Ex p. 8. et 5. Ref. 16.

§. 1. Dico primò, quod talis licentiâ debet præcedere; & ratio est, quia quoties ad actus similitatem iure desideratur, ex necessariò antecedere debet: Auct. licentiâ, Clem. de Episcop. & Cleric. leg. si quis mihi bona. §. in sum. ff. de acquir. her. Tiraq. latè post leges connubiales, gloss. 6. n. 3. 4. & 7. vbi refert Barthol. in d. §. iussum, Baldum, Ant. Butrium, Paulum de Castro, Panormitanum, Alexandrum, Francum, Arcetium, & alios, in locis de quibus per eum.

2. Dico secundò, quod prædicta licentiâ debet esse declarata, seu expressa, nec sufficit tacita prout insinuat videntur Pontifices in d. c. fin. & in d. Clement. vnic. in illis verbis, petita & obtenta, sequitur gloss. verb. obtenta in princip. in d. Clem. vbi Panormitanus ait, quod non sufficit tacita, in casibus in quibus Monachus eam petere, & obtinere tenetur: idem profitentur Ioannes de Imola, vbi, n. 7. Francus in d. c. fin. post Ioannem Andream, Dominicum, & Archidiaconum, eos commemorans ibidem. Palacius Ruuius in Rubrica de donat. §. 68. num. 29. Campeggius de dote, §. parte, q. 81. num. 2. & 3. quibus conveniunt ea, quæ pulchrè (pluribus relatis) congerit Tiraq. gloss. 7. post leges connubiales, n. 8. & alii.

3. Et ad maiorem cognitionem advertendum est, quod licentiâ tacita dupliciter distingui, & considerari potest; vna quæ per ratificationem de futuro habetur; & altera quæ de præsentis executioni actus adest, ut cum iudicio perpendit Pater Thomas Sanc. d. disp. 35. n. 1. 2. & 3.

4. Unde ad nostrum institutum, vide hæc, quod non sufficit licentiâ tacita intelligendum est in supradicta prima specie, & ratificatione de futuro, quæ adest dicitur interpretatiuè per ratificationem facti, postea sequitur: hæc enim non sufficit, quia expressa præcedere debet, ex d. gloss. verb. obtenta, cum aliis proximè adductis.

5. Dico tertio Superioris licentiâ, in scriptis redigendam esse, necessarium non fore, cum scriptura ex d. c. finali & d. Clement. vnic. non exigatur. Inde est, quod verbis sufficit eam exprimere, ex glossa, in c. 1. de censibus in 6. verb. in scriptis, quam communiter esse receptam testatur Decius, in Rubr. de Constit. l. lect. à n. 26. singularem & magistram appellat Ant. Gomez, tom. 2. variar. c. 1. n. 17.

Et hæc omnia latè docet, & probat Carpius de exec. testam. lib. 1. c. 2. n. 7. & seq.

RESOL. XIX.

An Superior, ve non integra, illicite, & invalidè revoce licentiâ datam subdito, ut possit exercere munus executionis. Ex p. 8. et 5. Ref. 17.

§. 1. Peccare si sine iusta causa revoce, tradant communiter Doctores, quos adducit, & sequitur Carpius de exec. testam. lib. 1. c. 5. n. 15. asserunt tamen reuocationem esse validam; sed contrarium docet nonnissimè Dicastillus de Iust. lib. 2. tract. 19. disp. 3. dub. 10. n. 128. vbi sic ait. Salvo meliori iudicio putarem non solum Superiorem peccare, si sine causa revoce, sed neque validè reuocare in prædicto casu re non integrâ, quod sic probò. Inæqualitas, & iniustitia comparatione hæredum, & aliorum quorum interest non reuocari facultatem, est in eo, quod omnibus pensaris iniuste illi damnum patiantur contra ius sibi quasi. Hoc autem damnum non inferitur, nisi per illum actum relinquendi munus, ad quem actum Religiosus ille subditus concurrat, compulsus obedientia Superioris negantis facultatem; sed non tenetur Superiori parere, nisi in rebus licitis, honestis: talis autem non est hæc omisso munere in eo casu, ergo in ea non tenetur parere.

2. Respondebis hoc non esse parere, aut non parere præcepto, sed non exequi opus propter defectum facultatis, quæ deficiente, opus exequi non potest. Quod autem hæc facultas deficiat, iniquitas est Superioris non subditi, qui posito illo defectu facultatis, ex quocumque capite proveniat, siue licito, siue illicito comparatione alterius, ipse subditus non potest actum illum exequi.

3. Respondeo verum quidem esse id non esse parere, aut non parere præcepto Superioris, qui potest velle negare facultatem absque eo, quod aliquid præcipiat, tollendo, scilicet, facultatem illam suam, quam concesserat, & relinquendo res omnes in eo statui, in quo potestas Religiosi esset, si nulla vnquam fuisset facultas concessa à Superiore, nempe permanente in suo vigore iure Canonico, quod in cit. c. 2. de test. in 6. & Clem. vnic. cit. negat Religiosis exequi tale munus sine facultate Superioris; sed quod dico est præceptum illud Pontificium non exequendi huiusmodi actionem, quod reperitur in Canonibus civitatis non obligare, nisi in casu, quæ facultas illa licitè negatur à Superiore. Nec enim censetur ius Canonicum necessitatem talis

talis facultatis petende, & obtinende imposuisse, quando semel iam petita, & obtenta, tunc negatur, aut reuocatur, quando iniustum est negare, & reuocare. Nec censetur ius Canonicum Religioso præcipere, vt dimittat opus, ad quod spectata rei natura, & seclusa prohibitione iuris, tenebatur ex iustitia. Proculdubio autem teneatur quicumque testamentarius, qui sine iusta causa munus semel ritè susceptum cum damno aliorum, quorum interest, omitteret. Ergo quamuis Superior particularis eam facultatem denegat, aut reuocet, non censetur subditus contrauenire iuri Canonico, quod pro eo casu non censetur præcipere, vt sine facultate non faciat. Ita Dicastillus.

4. Sed non videtur recedendum à communi sententia. Dico igitur licentiam Religioso concessam Superiorem reuocare posse, etiam re non integra, taliter quòd Monachus executor, seu commissarius ulterius progredi non possit; quamuis Prælatus absque iusta & rationabili causa, iniuste id facere dicatur: gloss. *verb. obtenta, in dicta Clement. vnic.* vbi Panormit. n. 3. *vers. Superior*, Imola n. 8. Angelus Clauasius, in *Sum. verb. executor. n. 21.* & (his non relatis) Siluest. *verb. testamentum 2. n. 2. vers. secundum*, Molina *dict. dispur. 247.* Vega in *Sum. 2. tom. c. 114. casu 6.* vbi refert Tabien. *verb. executor. n. 19.* Armillam *eod. verb. num. 15.* sequitur Emanuel Rodrig. 3. *reg. quæst. 9. 70. art. 1. ad fin. vers. aduertendum*, Th. Sanchez, *de Matr. l. 3. disp. 36. n. 9.* Ex ratione ab eo tradita, quòd licentia est merè gratuita, omninoque dependens à voluntate concedentis; & idè ad libitum reuocari posse; sed in nostro casu ea præcipua est, quòd Monachus non habet vel le, nec nolle sine Superioris licentia: ex *d. c. fin. & de Clem. vnic.* & *cap. si Religiosus, de elect. in 6.* quæ deficit eius reuocatione, & consequenter voluntas, & consensus Monachi ad actum perficiendum. Et tunc eius Collega executionem, seu commissionem vltimæ voluntatis, ad effectum perducere poterit, & altero mortuo, vel negligenti, seu non nominato, Episcopus: ex *dict. gloss.* & Doctoribus proximè adductis, Ancharrano, *dict. c. final. n. 2.* Ad hoc autem, vt factum per Monachum firmitatem non obtineat, reuocatio Superioris ei intimanda erit, ex *l. ff. de officio Proconsulis* vbi gloss. *verb. agnouerit*, Boerius, Bertachinus, Rebuffus, Rolandus, Bartolus, Flaminius, quos refert & sequitur Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. d. 30. num. 11. & 13.*

RESOL. XX.

An in consilio dando pro executione testamenti sit petenda licentia à Superiore?

Et an quoad electionem pauperum sint obligati Religiosi petere licentiam à Superiore? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 18.

Sup. hoc supra in ref. 15. 16. §. 2.

§. 1. **R**espondeo, quòd cum testator non astrinxit executores ad sequendum Religiosi consilium, sed solum ad illud petendum, credo nullo modo Religiosum indigere ea licentia quia nullibi Religiosis dare consilium in executione testamentorum interdicitur, sed potius vt quid conueniens Religioni, approbatur etiam in fratribus Minoribus; *Clem. Exiui de verb. signif. §. proinde.* & ita tradit Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 1. c. 11. q. 1.* Sanchez, *l. 6. Sum. c. 11. n. 29.* Et ita etiam docet Castrus Palasus, *3. tr. 16. disp. 4. num. 13.* §. 1. n. 13. & n. 14. loquitur etiam de Franciscanis; licet quoad electionem pauperum esse obligatos Religiosos petere licentiam à Superiore docet Dicastillus, *l. 3. tr. 19. disp. 3. dub. 10. num. 99.* Quia quamuis talis electio non sit propriè munus executoris, est quadam pars illius, vt idem Sanchez docet *num. 34.* cum aliis, quos refert contra Lambertinum, *de iure Patronat. l. 2. part. 1. q. 2. art. 11. n. vlt.* qui putat nullam requiri licentiam Superioris, rectius tamen docet Sanchez,

Sup. hoc supra in Ref. §. vi. & in alio vers. eius not.

non solum in Franciscanis, sed in quibuscumque aliis Religiosis requiri Superioris facultatem ad eam electionem & potiori ratione ad pecunias inter pauperes iussu testatoris distribuendas, tum quia omnibus Religiosis interdicitur est testamenta absque Superioris licentia exequi: tum quia Monachus nihil potest agere absque Abbatis licentia. Ergo, &c.

RESOL. XXI.

Ad quid teneantur Executores, quando præcipitur eis petere consilium à Religiosis vel ab alio? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 19.

§. 1. **R**espondeo, quòd in tali casu aliqua sunt obseruanda. *Primum*, quòd licet executor, seu Commissarius, tunc etenim consilium sequi non astringatur, tamen illud petere, & per aliquod tempus expectare illud teneatur. Lambertinus *d. art. 8. quæst. quæstioni principalis libri secundi.* Molina *dict. n. 37.* Th. Sanch. *d. num. 24. vers. obseruandum*, vbi refert Gloss. *verb. consensus, in cap. cum consuetudinis, de consuet. Hostiensem, & alios.*

2. *Secundum*, quòd si Monachus, cuius consilium fuit appositum, sit absens, & periculum est in executione vltimæ voluntatis, si expectaretur, actus ad effectum perducere poterit absque requisitione consilij gloss. *verb. Diocesanus, in Clem. 1. de foro comper. Lambert. vbi supra*, Bartolus relatus à Tiraquello post leges connubiales, *gloss. 8. n. 16.* per textum, in *l. si longius. §. 1. ibi, ne dum pater expectatur ff. de iudiciis*, quos Meres & Gratian. referunt, & sequitur Thom. Sanch. *disp. 34. num. 24.* sequitur etiam Morla *in empor. iur. 1. part. tit. 12. q. 10. num. 3.* Quibus in locis non refertur Molin. *d. c. 13. n. 39.* vbi cum temperamento hoc intelligit, dum tamen ne temerè ex quacumque periculi suspitione, & quæ facile amoueri possit, consilium non requiratur, vt à prædicta communi opinione haudquam recedatur.

3. *Tertium*, quòd si ille, cuius consilium requiritur, decefferit, non ex hoc dispositio & executio euanciscit, ex *Mantica, de coniecturis vlt. vol. l. 1. tit. 17. n. 11. vers. sed ego considero*: Th. Sanchez *d. disp. 34. n. 27.* Tunc etiam, quia quoties ex verisimili testatoris mente colligitur voluisse suam voluntatem ad effectum perducere, dispositio firma remanet, etiam si deficiat ille, cuius consilio aliquid exequendum erat, vt cum iudicio pendit Molina *l. 2. de primogeniis, dist. c. 13. n. 41.*

4. Quod idem dicendum erit in nostro casu, cum ex subiecta materia, iuris, & testatoris dispositione executio vltimæ voluntatis perficienda sit, vel per Executores, & Commissarios, vel subsidiariè per Ordinarium. Et hæc omnia docet Carpius *de execut. testament. lib. 1. c. 5. n. 57. & seq.*

RESOL. XXII.

An executor omittens consilium faciat executionem vltimam?

Idem est de aliis actibus, in quibus mandatur petere consilium.

Et notatur, quòd in euentibus, in quibus testator ad res dubias, quæ ex operatione conscientia concernunt, reneatur consilium petere & post consultationem illud sequi?

Idem est de Testamentario, aut Commissario, si casu dubio se obtulerit. Ex p. 8. tr. 5. Ref. 20.

§. 1. **A**D hoc dubium responderet VVadingus *tract. de contrah. disp. 4. dub. 13. §. 2. num. 4. vbi sic ait.* Dico